



Universitätsbibliothek Paderborn

Meditationes De Præcipvis Fidei Nostræ Mysteriis

Vitæ ac Passionis D.N. Iesv Christi; Et B.V. Mariæ; Sanctorumq[ue] et
Euangeliorum occurrentium Cum Orationis Mentalis circa eadem praxi In
sex partes tributæ

Quæ Meditationes Complectitur circa omnia Christi Domini Acta, ab eius
Baptismo ad finem vsque Prædicationis, Doctrinam, Miracula, Parabolas

Puente, Luis de la

Coloniae, 1612

5. De Tentationibus quas idem in deserto sustinuit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54633](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54633)

MEDITATIO V.

DE TENTATIONIBVS, QVAS
Christus Dominus noster in
deserto sustinuit.S. Thom. 3.
p. 9. 14.

a Mat. 41.



VIT Christus Dominus a à spi-
rito ductus in desertum, inter a-
lias causas (teste S. Matthæo) vt
tentaretur à diabolo.

I. CONSIDERANDVM ergò hîc primùm est:
Spiritus S. esse, viros perfectos, tentationum
occasionibus exponere, quò gratiæ suæ effica-
citas in eis magis eluceat, dum insignes illi vi-
ctorias, & magnarum virtutû ac meritorû lu-
cra ex hostibus referunt. Quare etsi non sit
meû huiusmodi me occasionibus temerè me
exponere; si tamen occurrant, existimare liceat
diuini spiritus prouidentiâ eas euenire (vt ait
Apost.) *b qui non patietur nos tentari supra illud
quod ferre possumus: sed faciet etiam cû tenta-
tione prouentum; quia fidelis est.* O S. Spiritus in
tuam me prouidentiâ totum proijcio, vt vbi-
cunque tibi gratiùs erit, me colloces, quo pro-
ber ac tenter; modò protector mihi ad sis &
auxiliator in congressibus; tunc enim nî ego
me ipsum tradidero, certa erit victoria.

b 1. Cor. 10.
13.

II. SECUNDÒ est considerandum: Ductum esse
Christum ad locum desertum potiùs quàm ad
alium, quod is locus ob solitudinem commo-
dißimus dæmoni sit ad tela sua exerenda, ille

enim

enim statim ac solum quempiam, nec habentē à quo possit cōsilio ac directione medijsq; alijs iuuari, quæ spirituales Patres in tētationibus cōstitutis adhibere solent; spē concipit illū deiiciendi, & ita cautissimè aggreditur, vt fecit cū Eua, quando solā à marito suo Adamo separatā conspexit, quam facilè decepit ac vit. Ideoq; SS. Patres neminē non satis perfectū, volūt ad loca deserta, solitariam vitā ducturum se conferre. Ex quo illud discā; etsi in aliorum frequentia degam nisi Confessario & spirituali Patri tētationes meas aperuero, cēseri me esse solum, & in solitudine habitare, ac proinde in periculo versari tētationibus succumbendi. Vt enim Sapiens ait: *c si mordet serpens in abscondito, & absque sibilo, nullum habet lucrum incantans*; hoc est: cū tentat Dēmon & culpā mordet, tacet verò qui mortuus est, etiamsi medicus adsit, qui posset adhibere medicinam, non sanabitur; quia perinde illi est medicus atque si non adesset, & ipse est solus. *d Va autem soli; quia cum ceciderit non habet subleuantem se*. Præterea, cū solitariæ vitæ asperitate orationeque fundata, sit perfectissima; mox atque dæmon aliquem cernit illam auspiciantem, accurrit ad tentandum quo illum ab ea cogitatione deterreat, etsi enim omnes detestetur ac vexet, præcipuè tamen feruentes, qui Deo seruire statuunt, vbiunque tandem sint. Nec tamen propterea abijciendus animus est; nam idem sanctus Spiritus, qui tale suggerit vitæ

genus

Basil. Reg.

1. fus.

Cas. lib. 2.

c. 17. Clima. c. 4.

c Eccl. 10. 31

iuxta 70.

Ex Cas. sol.

1. c. 11.

d Eccl. 4. 10

e *Iob. 3. 8.*

genus, suggerit quoque efficaciter media ad vincendas tentationes ab hoste contra illam excitatas. & vt feruentes calore suo *excitant* aduersus se *Leuiathan*, qui est spiritus nequam; ita Spiritum sanctum excitant, ad ferendam opportunè opem.

III.

TERTIÒ considerandæ causæ, cur Christus statim post baptismum & ieiunium tentari voluerit; quia omnes in nostram cedunt utilitatem.

f *Eccl. 2. 1.*

Primò etsi ipse in virtute Tyro non esset, voluit tamen viam ordinariam Tyronum in Dei obsequio tenere, qui (vt ait Sapiens) tentantur, & *ad tentationes se preparant*. Deinde quò se alijs hominibus similem faceret in omnibus, quæ annexam culpam non habent; &

g *Heb. 4. 15.*

vt *g tentatus ipse infirmitatibus nostris competeret* (vt ait Apost.) & vincens ipse suas, doceret nos vincere nostras; animumque & fortitudinem ad id nobis conferret. Hinc est quod licet quadraginta illorum dierum decursu variè *h tentatus fuerit* (vt S. Marcus &

h *Mar. 1. 13**Luc. 4. 2.**D. Tho 3. p.**q. 1. a. 3. ad**2.*

Lucas insinuant) in fine tamen tres externas & spectabiles sustinuerit tentationes, in quibus velut in femine reliquæ latent, vt ex pugná contra eas, disceremus contra reliquas pugnare. Vnde tria magni momenti discantur documenta pro tempore tentationis *Primum*

*Pf 36. toto**i Eccl. 2. 4.*

non dandum esse locum afflictioni, & desolationi, quasi Deus mihi non faueat, qui sic me tentari permittit *sed in dolore sustine; & in humilitate tua patientiam habe* ait Sapiens. s. n.

Sal-

Saluator meus filius Dei tentatus fuit, mirum non est, me tentari: & spiritualis lætitia in ipsa tentatione, non modò ad defendendum, sed etiam ad ostendendum hostem, plurimùm iuuat ad victoriam. *Secundum documentum* magnâ confidentiâ remedium & auxilium tempore tentationis à Deo petendum esse, dicendo: mi Rex, qui nosti, quid sit tentari, cōpaterem mihi, & vel hanc amoue à me tentationem, aut vires confer ad vincendam. TERTIUM est: præueniendas esse tentationes oratione & ieiunio: vt Christum videmus eas præuenisse. Vt enim ipse postea dixit Apostolis, esse k genus quoddam *Dæmoniorum*, quod *k Mat. 17.* non nisi ieiunio & oratione pellatur: sic est in 21. tentationibus. & ad hanc præparationem cōijciam oculos in eam rationem, qua Christus suas vicit tentationes, vt eadem vtar contra meas.

PUNCTVM II.

SECUNDÒ attendendæ sunt tentationes Christo propositæ; & modus quo illas superauit. nam etsi primæ materia fuerit gula; secundæ vana gloria; tertiæ ambitio vel auaritia: omnibus tamen admiscebatur superbia & excellentiæ appetitio. vt enim tentator superbus est, & superbiâ ipse cecidit, eademque primum hominem deiecit, ac propterea eius tentationis vim valdè perspectam habet, semper illam alijs miscet, quò facilius homines deiciat. Contrà verò Christus Dominus
omnes

oēs illas tērationes humilitate repulit, tanquam potētissimo telo ad Satanæ laqueos eludēdos.

TENTATIO I.

PRIMA tentationis materia fuit gula, quoad affectum & modum querendi cibum. Cū enim post quadragesimum ieiunij diem Christus esuriret vt homo, Dēmō verò, qui omnia quæ ille faceret, obseruabat, non existimauit occasionem illam famis eius, sibi esse negligendam: quare pietatis & compassionis cuiusdam specie ait illi. *a si filius Dei es dic, vt lapides isti panes fiant*, atque si dixisset: vt re potestate, quam habes, miracula faciendi, quæ tuæ necessitati prouideas. incitabat itaque Christum ad inordinatum cibi aspectum, cuius miraculo quærendum.

ET hic obseruandi varij modi tentationum in genere gulæ. Delicatos enim ita voluptatis ciborū propositā tentat, vt eius causa obtinendæ, ad diuinę legis transgressionē inducat sicut Euam induxit. *Egentes* prouocat ad subueniendū necessitati luxæ medijs illicitis: Modò furto aperto; modò arte doloq; dispensationes & reuelationes fictas prætexens, vt fecit *b viro illi Dei*, quem, falsā reuelatione alteri Prophetæ factā, induxit, contra Dei prohibitionem panē comedere: Modò pietatis prætextu vana & præsumptuosa media suggerēs: & hoc modo est vsus hic contra Christum. & hac vel illa via plurimū satagit, quos videt spiritui deditos, vitio gulæ superare: nam qui abiecto huic vitio manus dedunt; effe-

a Mat. 4. 3.

a Lut. 4. 3.

b 3. Reg. 13.

18.

mina-

minati ad maiora certamina redduntur.

Respondit autem illi Christus humiliter, allata scripturæ sacræ sententiâ: *c Non in solo pane viuit homo: sed in omni verbo quod procedit ab ore Dei.* quasi responderet, neq; ob tuam suggestionē, nec vt mihi indulgeā, ad miraculum confugere volo, cū Deo non desint alij modi, & alij cibi, quibus me sustentare possit: credo, n. ijs, quæ circa hoc sunt scripta, cōfido, quæ ipsius prouidentia mihi non defutura. His nos docuit rationē tentationes reprimendi, quæ necessitatis tēporalis, aut sustentationis aut voluptatis prætextu exurgunt. humilitatem inquam fidemq; in Dei verbum, & confidentiam in eius prouidentia. si enim *d iumen* *tis dat escam ipsorum & pullis coruorū eū inuocantibus* escā non denegat, quomodo negaturus est Pater coelestis filijs suis eā petentibus.

TENTATIO II.

Ex hac victoria Christi occasionem Satanas sumpsit, vanæ gloriæ, præsumptionis, & nimix confidentiæ materiam eidem offerendi. et tunc *assumpsit eum diabolus in sanctā ciuitatem, & statuit eum supra pinnaculum tēpli, & dixit ei: si filius Dei es, mitte te deorsum: scriptū est. n. f quia angelis suis mandauit de te, & in manib. tollēt te, ne fortè offendas ad lapidē pedē tuum.* Quasi id ei suaderet, quod cū faceret tum videntes in eū crederent; tum coelestis eius pater laudaretur.

HIC primū sunt Satanæ proprietates in suis tentationibus obseruandæ: ne astutijs

eius

II.

c Deut. 8.3.

c Mat. 4. 4.

d Psal. 14. 6

e Mat. 4.5.

& 6.

f Psal. 90. 12

eius decipiamur: prima enim tentatione explorare conatur, cuiusque studia & propensiones; ex quibus ad nouas insidias & laqueos struendos sumit occasionem: nec solum ex necessitatibus, quæ nos premunt, aut malis inclinationibus; sed ex bonis quoque ad nos tentandum gradum ita facit, vt nos ad indiscriminum earum vsum, aut minus rectam intentionem, aut prauas alias circumstantias inducat: confidentes in Deum instigat ad confidentiam nimiam, vt fiant præsumptuosi. Zelantes Dei gloriam, ad iracundiam permouet peritos, & qui virtutem suam scripturis sacris stabilunt; eisdem ipse, ad suas insidias regendas, adhibitis, decipere conatur. Ex quo discam non statim tutum existimare quod boni speciem præfert, nisi prius diligens adhibeam examen de fine & intentione, & alijs particularibus circumstantijs, iuxta illud

g 1. Ioh. 4. 1.
II.

loannis. g *Probate spiritus si ex Deo sint.*
SECUNDÒ obserua maligni & boni spiritus discrimen, quod in hac historia elucet. bonus enim Christum duxit in desertum locum, vt vanas hominum laudes, & vanam gloriam, quæ ex eis oriri consuevit, effugeret. malus verò ex solitudine deduxit ad pinnam templi coram multitudine, sic eum ad laudes vanas captandas prouocans, ficto gloriæ Dei prætextu. Nam aduertens, Christum in deserto miraculum conuertendi lapidem in panem recusasse, existimauit, illum in publico coram plebe editurum aliquod miraculum, quia va-

na glo.

na gloria fortius mouet coram multis, qui laudare possunt, quàm priuatim aut coram paucis.

TERTIO Christi insignem mansuetudinem admirabor, qui Satanæ locum dederit, ipsum ex deserto ad templi pinnam exportandi, nullâ resistantiâ aut repugnantîâ adhibitâ, cû facillimum fuisset impedire, etiam nō manifestatâ pro eo tempore omnipotentîâ suâ, ne ex facto filius Dei agnosceretur. Sed in hoc quoque exemplum nobis humilitatis relinquere voluit. O mansuetissime agne, quomodo tam crudelis lupi manibus te permittis! ab eis, quæso, magnâ tuâ misericordiâ me libera, ne ex tua gratia ad culpæ me abyssum deturbent.

PERGAM considerare, quo pacto hanc tentationem Christus vicerit. respondit enim Satanæ: *h scriptum est: non tentabis Dominum Deum tuum.* quasi diceret: Miracula non sunt ob vanitatem absque necessitate faciēda. Confidētia in Deum nec temeraria, nec præsumptuosa esse debet. cû ergo liceat mihi per gradus descendere, cur Deū tentē? & me hinc præcipitem? Ex quo intelligam humilitatem & discretionem cû animi tranquillitate & mansuetudine, plurimū ad vanitatis tentationes specie virtutis tectas, superandas, conferre. Humilitas enim disponit animam ad lumē & discretionē obtinendam, iuxta illud Sapientis: *i Vbi humilitas, vbi est sapientia.* sed petēda à Deo est: ad cuius omnipotentiam spectat (vt

III.

IV.

i *Deu. 6.16*i *Prou. 11.2.*

III. Part. Medit.

F

ipse

k *Iob. 41. 4.*

ipſe ſancto Iob dixit) k *faciem indumenti eius reuelare: & portas vultus eius aperire.* hoc eſt laruam virtutis, qua dolos ſuos contegit, deponere. O ſtrenue potensque bellator, Chriſte Ieſu, animæ meæ oculos cœleſti lumine illuſtra, vt Sathanæ inſidias agnoſcam; cùm ſe ille in lucis Angelum, ad me decipiendum tranſfiguratur, a deſtoque omnipotentia tua, ne leonis huius feritas me terreat, aut draconis aſtutia decipiat.

TENTATIO III.

l *Mat. 4. 8.*

TERTIA tentatio auaritiã & ambitio- nem complectebatur. l *Iterum, hoc eſt tertio aſſumpſit eum diabolus in montem excelſum valde: & oſtendit ei omnia regna mundi, & gloriã eorum, & dixit ei: Hac omnia tibi dabo, ſi cadens adoraueris me.*

I.

Hic primùm apparet rabida illa Sathanæ ſer- tis, qua meam ſcit condemnationem, vt qui mundum vniuerſum, ſi ipſius eſſet, mihi, pro vnico mortali peccato contra Deum, offerret. ex quo contrã diſcam ego, quanti ſalutem meam facere debeam, ac propoſitum firmiſſi- mum & efficaciffimum nunquam faciendi aliquid contra eam, etiam pro omnibus quæ in mundo ſunt: diſcens ab hoſte meo, æterna omnibus caducis & perituris præferre. aduer- ſus hanc enim tentationem rectè dixit Chri- ſtus: m *Quid prodeſt homini ſi vniuerſum mun- dum lucretur; anima verò ſua detrimentum pa- tiatur? Quod etiam damnati qui ſunt in infer- no fateri coguntur n Quid nobis profuit super- bia*

m *Mat. 16.*

26.

n *Sap. 5. 8.*

bia? aut diuitiarū iactantia quid contulit nobis?

SECUNDÒ considerandum, quàm sit hosti nostro mendaciorum parenti, familiare, falsis eorum promissis, quæ nec ipsius sunt, nec dare cuiquã potest; homines decipere. Nam interdū arces nescio quas in imaginatione nostra tanquã in aere fundatas fabricans ingentium nobis bonorum spem facit; si lethale aliquod peccatum admittamus. Aliàs idē per mundanos adultores falsosq; amicos præstat, qui iniqua quædã nobis procuranda, fallaci ea cõsequendi spe, nobis obtrudunt. Ex quo apparet, quàm stultū sit ei fidem adhibere, qui nec per seipsum, nec per os alterius nouit vnquã dicere veritatem, sed mendacium semper ad meam deceptionem & perniciem.

II.

TERTIÒ attendam quàm grande malū sit lethale peccatū, auaritiæ præsertim & ambitionis, quæ hominē Satanæ sese prosternere, eū demq; vt Deum adorare cogit. Ac propterea Apost. *o auaritiã idolorū seruitutē* appellat. Est. n. pecunia verè idolū, in quo Satanã latentē auarus adorat. & ideò Christus impossibile dicebat esse *p duob. dominis seruire*, hoc est *Deo & Mammonæ*. Ex quo etiam magnam concipiã cõmiserationem eorum, qui in terram procidentes, dæmonem adorant, non ob totum mundum, quem ille fallaciter promitteret, sed ob eius particulam minimã, tantillum inquam fortunarum, aut honoris.

III.

o Col. 3. 5.

p Mat. 6. 24.

STATIM verò oculos ad eū modū, quo Christus hanc repulit tentationē, conijciã: magno

IV.

q*Deut. 6.13*

imperio Satanæ respondens: q*Vade Satana;*
scriptum est enim, Dominum Deum tuum ado-
rabis, & illi soli seruias. qua responsione zelum
 suum diuini honoris nobis aperuit, dum tantâ
 Satanæ impudentiam non ferens, indignans,
 illum à se repulit, & victum, confusum, ac ti-
 more correptum abire iussit. vt eo exemplo
 discam, quanto zelo deceat me armari aduer-
 sus tentatores, cum Dei honorē præsumunt
 attingere, vt magno inquâ animo & virili pe-
 ctore eos à me repellâ; meam in hoc gloriam
 collocâdo, quòd genua mea nulli, nisi Deo so-
 li, flectere velim, & propter eû illis etiâ, qui-
 bus ipse vult; nulli verò contra ipsum. hæc e-
 nim sancta libertas Dæmones terret ac fuge-
 re compellit. O Deus exercituum, qui zelo ar-
 matus aduersus mundi huius Principem de-
 certasti, ex eoq; victum expulisti: adiua de-
 bilitatem meam, vt eundem ipse etiam vincâ
 me agredientem, gratiaque tua à me repellâ.
 Da mihi aduersus *concupiscentiam carnis* te-
 perantiam, aduersus *concupiscentiam oculorū,*
 spiritus paupertatem, aduersus *superbiam* vi-
 ta veram animi demissionem; his enim tribus
 hostibus deuictis, mundum etiam ipsum, qui
 illis innititur, deuicero, sicut tu vicisti, cui
 cui pro hac victoria sit honor & gloria in æ-
 ternum. Amen.

1*Iob. 2.16.*

PUNCTVM III.

TVNC reliquit eum diabolus, & ecce An-
 geli venerunt & ministrabant ei. Con-
 siderandum hic: quis Angelos miserit,
 quot,

quot, & quem in finem venerint, quidque egerint. Misit illos pater æternus ad honorem filij, ut victoriam redderent solennem, & ut curam, quam de illo gerebat, geritque omnium, qui in certamine versantur, ostenderet. & quamvis Angelus vnus ad præsentem necessitatem suffecisset, multos voluit venire; qui de tam insigni victoriâ, debellatoque atrocissimo hoste Satana congratularentur. Statimque reuerentiâ summâ mensam in deserto illo loco sternentes, quò grauem famem depelleret, obtulerunt; præstantes officium seruorum erga suum Dominum.

EX quo primùm magnam de prouidentia diuina confidentiam concipiam, quæ tantam filiorum suorum, eorumque qui pro ipsius honore in huius mundi deserto, in pugna & certamine versantur, curam gerit. Benedicta sit, ô Pater coelestis, diuina tua prouidentia. Gratias tibi ago pro cura de filio tuo habita, & honore in hac victoria eidem exhibito. Per eundem supplico, mei etiam curam gere, adiuuaque, ut verè in te confidam.

SECUNDò etiam intelligam, Angelos certantibus assistere inuisibiliter, eosque iuuare: congaudere vincentibus, & victoriam illorum excolere: esseque (ut 6. Parte dicitur) diuinæ prouidentia, ad necessitatum nostrarum remedium instrumenta: quare & amare & reuereri eos meritò debeo; & frequentissimè in auxilium vocare, ne tentationibus succumbam: vel ideò, ne hac eos læticia priuem. Quæ

veritas adeò certa est, vt ipsemet Satanas, dum Christum tentaret, eandem confessus, in medium protulerit, ex Dauide in prædicto Psalmo, diuinâ prouidentiâ sic ad nos confortandos, disponente. Sciens enim dæmonium se fortiorem sibi que repugnantem Angelum esse, qui æquè nostræ defensionis, atque ipse oppugnationis inuigilet, contrahit audaciam suam, ne quantum cuperet, nobis nocereat.

III.

TERTIÒ discam patientiam & tolerantiam habere in rerum temporalium inopia, quam opportunè Christus Dominus sit subleuaturus: & in tentationibus, etiam multiplicatis & diuturnis confidentiam retinere: quia opportunè Deus euanescente eas faciet, earum authore repulso. Nunquam tamen securum me omninò esse existimabo, dum vita superest: Neque enim frustra S. Lucas adiecit a *Satanam vsque ad tempus à Christo recessisse*, vt intelligas, etsi modò recedat, ad nouum fortè, sed periculosius certamen rediturum.

a Luc. 4. 13.

Sed qui ad primum vincendum gratiâ suâ iuuat; iuuet etiam ad secundum, & semper. Amen.

(:.)